Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 903
Quelle:
Copyright:

Responsa sat apta dantur, nisi quod in primo de *Johanne* Ap. dicatur: *qui perseuerauit cum domino usque ad crucem, et postea occuluit se more furis.* In postremo citatur *sanctus leo.*

CCCXCVIII.

U.256 Codex chartaceus lat. Sec. partim XV. partim XIV. per duas columnas non una manu, probe tamen exaratus, et minio distinctus sequentia continet: I. *Incipit Liber dyalogi Sancti Gregorij pape.* Sunt omnes IV. *Libri*, prout extant edit. *Maur. Paris.* T. II. 1705. *col.* 149. f. praemisso tamen singulis *Libris* Elencho *Capitum*, quorum divisio ab Edit. non semel variat. Prologi initium: *Quadam die nimijs quorundam secularium tumultibus depressus* &c. Lectio satis sincera. Ad calcem rubro: *Explicit liber quartus dialogorum felix 1455. Egidij per me Sigismundum de sterczing exaratus.* Civis hic *Tyroliensis* et sequens Opusculum nitide exaravit.

II. *fol.* 68. *Regula beati Jeronimi presbiteri. Ordo viuendi deo eximij doctoris Jeronimi presbiteri ad Eustochium sacratissimam deo virginem quam bethlehem cum pluribus deo dicatis virginibus monasterio sub istius ordinis obseruancia conclusit.* Compilatio indigna *Hieronymo*, et ab *Vallarsio* in T. XI. ad *col.* 433. rejecta incipit: *Tepescens in membris procliuum corpus* &c. et finit C. 41. *senectutem deuoti vestri Iheronimi sanctis vestris iuuate orationibus.* Adjecit Miniator: 1455. *Explicit Regula beati Jeronimi ad virgines in Bethlehem degentes.*

III. *fol.* 85. *Commentum*, ut e calce praeoccupo, *summe raymundi.* Videlicet *Pennafortii* illius O. P. Compilatoris *Libb. V. Decretalium Gregorii* IX. qui annum 1256. supremum habuit, et praeter Compilationem illam reliquit *Summam* dictam *de Poenitentia et Matrimonio* non semel typis vulgatam. Hanc porro in usum Pauperum metro complexus est Ανωνυμος quidam cujus labor incipit:

Summula de summa Raymundi prodiit ista &c.

atque in hanc *Summulam*, non vero, ut credi posset, in magnam ipsius *Raymundi Summam*, per partes commentatur prolixe Noster, Praefationem suam ita auspicatus: *Omnem scientiam et omnem doctrinam sacra scriptura transcendit* &c. Objacet mihi hoc *Commentum* typis editum per *Joh. Knoblouch*, itaque *Argentinae*, 1518. 4. *Summulae* titulo, parum a *Codice* praesenti varians, neque magis nomen Commentatoris prodens. Tam de *Summula*, quam de ejus *Commento* tacetur in *Bibliotheca Ord.* ad *Raymundum* T. I. p. 106. Codex subnotatur: *Explicit per manus nycolay de costing pronunciatum prage Anno domini M° CCCC° 2° in die sancti augustini doctoris circa horam XX^am^.* Accedit Monitum sapiens:

Simo-